

130
MARCUS CORNELIVS
DUX LVIII.

Electus Anno 1365. obiit Anno 1367. die 12. Ianuarii.

ELOGIVM VETVSTVM.

Residua rebellantis Creta funditus extinxit.

LIX.



Arcus Cornelius Legum Doctor semel Procurator, bis Princeps Celso subrogatur defuncto. Is enim, qui Falerianâ coniuratione faviente, Proprinceps, peneque Dictator Rempublicam administravit, armatisque septus comitia habuit, donec proditoribus sublatis, Ioannem Gradonicum cognomento *Nasonem* dixere Ducem, Anno 1355. In electione suâ contradicto-

rem passus *Ioannem Darpinum*, qui ultra senectutem, & paupertatem, uxoris stema homini objiciebat ignobile (Ex populari namque ordine ea erat) Concione advocatâ Cornelius ita de ætate suâ octuagenaria, census tenuitate, matrimonii iure, natalium genere, magno elatoque animo disseruit, ut omnibus penè suffragiis Princeps